Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

certamina quibus ecclesia turbaretur. aliis hoc. aliis aliud defen
dentibus. Huc accedebat quod criniti erant quidam eorum quos operandum
non esse dicebant. Unde contentiones hinc reprehendentium inde
quasi repugnantium, pro partium studiis augebantur. Propter hec ue
nerabilis senex Aurelius ecclesie ipsius ciuitatis episcopus. ut hinc
aliquid scribere iussit. et feci. Hic incipit. Iussioni tue sancte frater Aureli.
IOVINIANI heresis. De bono coniugali. l. i.
sacrarum uirginum meritum equando pudicitie coniugali. tantum
ualuit in urbe roma ut nonnullas etiam sanctimoniales de quarum
pudicicia suspicio nulla precesserat deiecisse in nuptias dice
retur. hoc maximo argumento cum eas argueret dicens. Tu ergo
melior quam sara. melior quam susanna. siue anna. et ceteras comme
morando testimonio sancte scripture commendatissimas feminas.
quibus se ille meliores uel etiam pares cogitare non possent. hoc
modo etiam uirorum sanctorum sanctum celibatum. commemoratione patrum con
iugatorum et comparatione frangebat. Huic monstro sancta ecclesia
que ibi est fidelissime ac fortissime restitit. Remanserant autem
iste disputationes eius in quorundam sermunculis ac susurris. quas
palam suadere nullus audebat. Sed etiam uenenis occulte re
pentibus facultate quam donabat dominus occurrendum fuit max
ime quoniam iactabatur iouiniano responderi non potuisse cum
laude sed cum uituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi. cuius
inscriptio est de bono coniugali. Ubi de propagatione filiorum priusquam
homines mortem peccando mererentur. quoniam concubitus mor
talium corporum res uidetur. questio magna dilata est. Sed aliis
postea litteris nostris. satis quantum arbitror explicata. Dixi etiam
quodam loco. Quod est cibus ad salutem corporis hominis. hoc est concubitus
ad salutem generis. et utrumque non est sine delectatione carnali.
que tamen modificata. et temperantia refrenante in usum naturalem
redacta. libido esse non potest. Quod ideo dictum est quoniam libido non